

I mente & animo paulisper peregrinemur sanè  
per magnum univèrsum hoc; & simili cogita-  
tione perambulemus rerum hanc naturam: vi-  
debimus, quòd Deus ille, qui sapienter con-  
didit omnia & disposuit; ita disposuit, ut sin-  
gula certo numero, augmento, pondere definierit, nec  
modum eum excedere sine inclinatione omnium aut ru-  
inâ, cuiquam generi permiserit. Supera, infera, gran-  
dia, & omnia, quæ miramur, parvâ manufacta & men-  
te; corruunt, & corruent in omne ævum. Nec aliter! Sci-  
mus de Roma antiquâ. Quâ nec major nec bonis ex-  
emplis ditior urbs ulla extitit; nulla unquam erit. Hinc  
etiam æterna, non diuturna dicebatur. Siquidem in  
illam omnes coniecerunt oculos, ad illam omnes con-  
fugerunt; apud illam consilium invenerunt; ab illâ de-  
niq; omnes auxilium retulerunt. Iam tota Respub. atq;  
Imperii Romani facies ad eò versa, ut nec veteris formæ  
vestigium quis vix agnoscat. Iam aliæ consuetudines, a-  
lia religio, alii Magistratus; alia judicia; & quæ huius  
generis alia. Omnia sic in desuetudinem abierunt, ut re-  
lictis tantum nominibus, qui illi fuerint; quibus legibus  
vixerint, discrepemus. Vt hominibus singulis adolescen-  
tia sua, robur, senectâ mors: sic quoq; oppidis, Rebus-  
pub. & regnis. Incipiunt, crescunt, stant, florent, omnia  
denuò ut cadant; erit quoq; hic rerum in se remeantium  
orbis, quandiu erit ipse orbis? O mira & nunquam satis  
comprehensa lex! Abeunt omnia in hunc nascendi pere-  
undiq; fatalem gyrum. Et longævum in hac machinâ ni-  
hil. Quàm facili modo hæc omnia tam mira, tam mag-  
na, tam multa creavit & fecit Maximus ille; tam diffi-